An. et vol. XXXVI 28 Iulii 1944 (Ser. II, v. XI) - Num. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 201 - Litterae Apostolicae, p. 205 - Allocutio, p. 207.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: Decretum, p. 212 - *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 212 - *S. C. de Religiosis*: Decretum, p. 213 - *S. C. Rituum*: Decreta, p. 215.

Acta Tribunalium: *S. Paenitentiaria Apostolica*: Decretum, p. 222.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni varie - Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze, pp. 223-232.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XLIV

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 50 — extra Italiam, *L. it.* 70 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 6 — extra Italiam, *L. it.* 6,50

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXVI, n. 7 - 28 Iulii 1944)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

PAG.

I. *S. Salvatoris in America* (S. Vincentii). – Ab Archidioecesi S. Salvatoris in America, in Republica Salvador, territorii pars seiungitur, ex qua nova erigitur et constituitur Dioecesis « S. Vincentii » nuncupanda, ipsi Metropolitanae Ecclesiae S. Salvatoris in America suffraganea. – *18 Decembris 1943* 201

II. *De Shuntehfu.* – Praefectura Apostolica de Shuntehfu in Sinis in Vicariatum Apostolicum extollitur. – *12 Ianuarii 1944* 204

LITTERAE APOSTOLICAE

Pro titulo privilegiisque. – Templum in honorem Sancti Francisci Assisiensis, Palmae intra fines Maioricensis Dioecesis, Deo dicatum privilegiis Basilicae Minoris honestatur. – *20 Iunii 1943* 205

ALLOCUTIO

A Summo Pontifice habita, die 24 Iunii a. 1944, adstantibus Emo P. D. Petro Card. Fumasoni Biondi S. Congregationis de Propaganda Fide Praefecto, necnon Excmo P. D. Praeside ceterisque Revmis Praesulibus ac Officialibus Pontificiorum Operum Missionalium Romae coadunatis 207

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

Decretum. De systemate Millenarismi mitigati. – *21 Iulii 1944* 212

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PAG.

Provisio Ecclesiarum 212

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

Decretum. – *24 Ianuarii 1944* 213

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Chicagien. seu Lauden.* – Decretum de *Tuto* pro canonizatione Beatae Franciscae Xaveriae Cabrini, Virginis, Fundatricis Instituti Sororum Missionariarum a Sacro Corde Iesu. – *27 Februarii 1944* 215

II. *Baionen.* – Decretum de miraculis pro canonizatione Beati Michaëlis Garicoïts, Confessoris, Fundatoris Societatis Presbyterorum Ssmi Cordis Iesu, vulgo de Bétharram. – *27 Februarii 1944* 217

III. *Curien.* – Decretum de miraculis pro canonizatione Beati Nicolai de Flüe, Confessoris, eremitae helvetii. – *30 Aprilis 1944* 219

IV. *Romana.* – Declaratio. De Benedictione Apostolica. – *23 Iunii 1944* . . 221

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Decretum. Prex iaculatoria indulgentiis ditatur. – *10 Iulii 1944* 222

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 223

II. Segreteria di Stato: *Nomine* e *Onorificenze* 224

An. et vol. XXXVI 28 Iulii 1944 (Ser. II, v. XI) – Num. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

S. SALVATORIS IN AMERICA
(S. VINCENTII)

AB ARCHIDIOECESI S. SALVATORIS IN AMERICA, IN REPUBLICA SALVADOR, TERRITORII PARS SEIUNGITUR, EX QUA NOVA ERIGITUR ET CONSTITUITUR DIOECESIS « S. VINCENTII » NUNCUPANDA, IPSI METROPOLITANAE ECCLESIAE S. SALVATORIS IN AMERICA SUFFRAGANEA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si qua in catholico orbe Dioecesis nimio territorio ac fidelium frequentia redundans ab uno, vel vigilantissimo, Pastore vix regi queat, pars ab illa seiungi oportet, ex qua nova erigatur dioecesis, alteri Antistiti concredenda, quo exinde ecclesiasticum regimen, inter plures divisum Pastores, facilius ac salubrius exerceri possit. Quod perpendentes Nos libenter excipiendas duximus venerabilis Fratris Aloisii Chavez, Archiepiscopi S. Salvatoris in America, preces, quibus ab hac Apostolica Sede expostulavit ut suae Archidioecesis territorium, quod latissime pa-

teat, dividatur et nova exinde erigatur dioecesis. Praehabito itaque venerabilis Fratris Ioseph Beltrami, Archiepiscopi Damasceni et in Republica Salvador Nuntii Apostolici, favorabili voto, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Consistoriali praepositorum consilio, rei opportunitate perpensa, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a praefata Archidioecesi S. Salvatoris in America partem separamus complectentem civiles provincias *S. Vicente, Cabanas* et *La Paz,* atque ex ita avulso territorio novam erigimus et constituimus dioecesim, quam *S. Vincentii* nuncupandam decernimus. Huius novae dioecesis episcopalem sedem in S. Vincentii urbe, a qua dioecesis ipsa nomen mutuatur, statuimus, quam propterea ad civitatis episcopalis fastigium extollimus eique omnia tribuimus iura et privilegia, quibus ceterae episcopales civitates pollent; Episcopi vero cathedram in ecclesia Deo in honorem S. Vincentii Abbatis et Martyris dicata, in eadem urbe exstante, figimus eamque igitur ad Cathedralis Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus, eique et S. Vincentii pro tempore Episcopis omnia item concedimus iura, privilegia, honores et gratias, quibus ceterae Cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur, illosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri Episcopi et Cathedrales adstringuntur. Novam autem cathedralem Ecclesiam S. Vincentii suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae S. Salvatoris in America eiusque pro tempore Episcopos metropolitico S. Salvatoris in America Archiepiscopi iuri subiicimus. Quum vero praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus in nova ista Dioecesi Canonicorum Capitulum modo instituatur, indulgemus ut interim, pro Canonicis, Dioecesani Consultores ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Episcopalem mensam constituent Curiae emolumenta et ceterae oblationes, quae a fidelibus praeberi solent, praeter ea quae ad hunc finem iam collecta sunt. Mandamus insuper ut in nova hac dioecesi quam primum fieri poterit saltem parvum Seminarium iuxta Codicis Iuris Canonici praescripta et normas a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus traditas erigatur; itemque ut ex hac quoque Dioecesi eiusque sumptibus duo delecti iuvenes, in sortem Domini vocati, aut modo saltem unus, non intermissa vice in Collegium Pium Latinum Americanum de Urbe mittantur, ut, sub oculis fere Romani Pontificis, ad pietatem ac doctrinam instituantur. Quod autem attinet ad novae Dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et

onera aliaque huiusmodi, rite servanda iubemus quae Sacri Canones praescribunt. Quod vero ad clerum peculiariter spectat, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem mandatae fuerint, eo ipso clerici Dioecesi illi censeantur adscripti in cuius territorio legitime degunt. Volumus denique ut omnia documenta et acta, quae noviter erectam Dioecesim eiusque clericos et fideles respiciunt, a Cancellaria Archidiocesis S. Salvatoris in America quam primum fieri poterit episcopali Curiae dioecesis S. Vincentii tradantur, ut in eius archivo diligenter asserventur. Ad quae omnia ut supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Ioseph Beltrami, Nuntium Nostrum in Republica *Salvador*, delegamus, eique propterea ad id necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum eique onus imponimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar ad S. Congregationem Consistorialem quam primum transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, quorum intersit vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus, ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id

ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo tertio, die decimaoctava Decembris mensis, Pontificatus Nostri anno quinto.

ALOYSIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Carolus Respighi, *Proton. Apost.*
Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol LXVIII, n. 20. - Al. Trussardi.

II

DE SHUNTEHFU

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE SHUNTEHFU IN SINIS IN VICARIATUM APOSTOLICUM EXTOLLITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inter ansietudines quibus premimur ob immane bellum, quod totum fere iactat orbem terrarum, grande Nobis solacium affert nosse catholicam rem in partibus infidelium, quamvis magnas inter difficultates, non mediocre incrementum suscipere. Quod quidem laeto animo accepimus contingere in Praefectura Apostolica de Shuntehfu in Sinis, in qua, indefesso labore constantique zelo Missionariorum Congregationis Missionis Sodalium, quibus illa undecim iam annos concredita est, christiana religio non parum floruit, et missionalia opera multiplicata sunt. Ut testimonium itaque iisdem Evangelii praeconibus meritae laudis praebeatur et animus simul addatur ad novos maioresque in dies exantlandos labores, precibus annuendum censuimus dilecti Filii Congregationis Missionis Superioris Generalis, quibus ipse enixe expostulavit ut Praefectura illa de Shuntehfu ad maioris dignitatis gradum elevetur. De venerabilium igitur Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant

consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Apostolicam quam supra diximus Praefecturam de Shuntehfu, iisdem servatis limitibus et nomine, in Vicariatum Apostolicum extollimus, erigimus et constituimus. Huic itaque novo Vicariatui eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent; eosque iisdem adstringimus oneribus et obligationibus quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero ausu temerario id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo quarto, die duodecima Ianuarii mensis, Pontificatus Nostri anno quinto.

ALOYSIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praef.

Carolus Respighi, *Proton. Apost.*
Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXVIII, n. 21. – Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

TEMPLUM IN HONOREM SANCTI FRANCISCI ASSISIENSIS, PALMAE INTRA FINES MAIORICENSIS DIOECESIS, DEO DICATUM PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS HONESTATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Pro titulo privilegiisque impetrandis Basilicae minoris templo Sancti Francisci Assisiensis in honorem Deo dicato, Palmae, intra fines dioecesis Maioricensis, Administer generalis

Tertii Ordinis Regularis Sancti Francisci enixas humilesque preces Nobis adhibet. Refert quidem ad Nos ipse postulator templum memoratum, iam ab Episcopali Curia Maioricensi concessum religiosae ex ipso Ordine provinciae ab Immaculata Conceptione nuncupatae, amplitudine maiestateque enitere nec non divite et copiosa supellectili ditatum esse, historicis vero memoriis magni momenti conspicuum, ac praesertim ob Raymundi Lulli corpus quod ibidem pie servatur, cum notum sit omnibus nomen Raymundi, qui ipsius Ordinis erat sodalis doctrina sanctitateque perspicuus per omnes Hispaniarum fines celebrari. Nunc autem addictus eidem templo religiosorum clerus sollicito studio divini cultus decori consulit sacrasque inibi convenienti pompa uberrimoque cum spirituali fructu functiones peragit. Haec animo repetentes, precibus memorati Administri generalis, qui non modo e suo Ordine sodalium sed et catholicae plebis loci fervida vota depromit, annuendum ut fidelium etiam pietas magis magisque augeatur libenter censemus.

Conlatis itaque consiliis cum Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum templum titulo Sancti Francisci Assisiensis, Palmae positum intra fines Maioricensis dioecesis, hodieque ad Tertium Ordinem regularem Sancti Francisci pertinens, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* condecoramus iuribus privilegiisque liturgicis adiectis quae de iure competunt. Haec benigne statuimus, decernentes praesents Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX m. Iunii, an. MCMXXXXIII, Pontificatus Nostri quinto.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

ALLOCUTIO

Summus Pontifex, die 24 Iunii a. 1944, adstantibus Emo P. D. Petro Card. Fumasoni Biondi S. Congregationis de Propaganda Fide Praefecto, necnon Excmo P. D. Praeside ceterisque Revmis Praesulibus ac Officialibus Pontificiarum Operum Missionalium Romae coadunatis, haec verba fecit. *

Vivamente gradito, Venerabili Fratelli e diletti figli, torna oggi al Nostro cuore il trovarCi in mezzo a voi, non soltanto perchè conosciamo e stimiamo altamente la vostra fedele e zelante collaborazione e partecipazione alle cure del Nostro pastorale ministero in un così vasto e nobile campo di apostolato, ma anche perchè la vostra presenza in questo grave momento ha in sè una singolare nota e un particolare valore. Mentre, infatti, imperversa ancora la più gigantesca lotta di popoli che la storia ricordi, il vostro carattere internazionale e la vostra fraternità di lavoro rendono evidente e quasi palpabile quel segno distintivo della Chiesa cattolica, che è la negazione e il contrapposto vivente della discordia, da cui le Nazioni sono turbate e sconvolte: vogliamo dire la universalità della fede e dell'amore, al di là di tutti i campi di battaglia e di tutte le frontiere degli Stati, di tutti i continenti e di tutti gli oceani, universalità che vi stimola e sprona verso la meta, cui tendete, di far coincidere i confini del regno di Dio con quelli del mondo.

Tale nota caratteristica può ben soffrire, sotto l'influsso delle vicende e della propaganda di guerra, qualche offuscamento nei sentimenti di singoli fedeli; ma alla Chiesa come tale è così propria ed essenziale, che nessuna forza contraria potrebbe in lei indebolirla o scemarla, « dove non è più Gentile nè Giudeo, ... Barbaro o Scita, servo o libero, ma tutto e in tutti è Cristo ».[1]

Una cosa nondimeno la guerra ha conseguito: essa ha in gran parte slegate le forme esteriori e visibili di questa cattolicità. Ed invero anche Noi da vari anni abbiamo dovuto con amarezza sentire la mancanza del contatto personale e diretto con molti Paesi. Tanto più grato ed accetto Ci è quindi il poter salutare in voi quasi il segno e il simbolo della Chiesa universale.

1. Vi è forse una più aperta manifestazione della profonda coscienza che la Sposa di Cristo ha della sua missione per tutte le regioni e per

* Ex diario *L'Osservatore Romano*, n. 149 a. 1944.

[1] *Col.* 3, 11.

tutti i popoli, che la sua azione missionaria degli ultimi secoli? Certamente la idea della cattolicità è stata sempre viva nella Chiesa, la quale, fedele al mandato del divino Fondatore: « Andate per tutto il mondo, predicate il Vangelo ad ogni creatura »,[2] ha posto mano al lavoro missionario sempre e dovunque porte fino allora chiuse alla predicazione evangelica le venivano aperte.

Così, dopo essersi fatta maestra di verità alle genti dell'antico Impero romano, guadagnò alla fede e alla carità di Cristo i popoli germanici e anglosassoni, e quindi le varie popolazioni slave, magiare e finniche; anzi già avanti il secolo XVI fondò le prime chiese in Cina, all'estremo Oriente, come nella Groenlandia e nelle isole Canarie o Fortunate, all'estremo Occidente. Ma l'opera di evangelizzazione non potè naturalmnte avere il suo pieno svolgimento se non all'epoca delle grandi e definitive scoperte — intorno al 1500 —, dando origine a quel movimento missionario, nel senso più proprio e specifico, che poi nell'antico e nel nuovo mondo è venuto sempre più allargandosi e diffondendosi, per divenire un potente movimento popolare, in quanto attrae nella sua sfera tutte le classi, particolarmente le più umili, della società cristiana e tutti i figli della Chiesa infervora a contribuire nelle più svariate forme alla propagazione della Fede.

Questo movimento richiama alla Nostra mente il ricordo dell'entusiasmo per le Crociate, che dalla fine del secolo undecimo a quasi tutto il decimoterzo tenne in ansiosa aspettazione l'Occidente cristiano. Eppure Ci sembra che la storia futura porrà l'opera missionaria dell'era moderna ancor più in alto che le gesta dei Crociati nel Medio evo. Le Crociate tendevano a conseguire la loro meta per lo più con le armi dei guerrieri e dei politici. L'opera missionaria lavora con la spada dello spirito,[3] della verità, dell'amore, dell'abnegazione, del sacrificio. Le Crociate si proponevano la liberazione della Terra Santa, e particolarmente del Sepolcro di Cristo, dalle mani degl'infedeli: fine senza dubbio quanto mai nobile ed elevato! Oltre a ciò, esse storicamente dovevano servire a difendere la fede e la civiltà dell'Occidente cristiano contro l'Islam. L'opera missionaria non si ferma ad assicurare e proteggere le sue posizioni. Il suo scopo è di fare di tutto il mondo una Terra Santa. Essa mira a portare il regno del Redentore risorto, a cui è stata data ogni potestà in cielo ed in terra,[4] il suo impero sui cuori, attraverso tutte le regioni sino all'ultima capanna e all'ultimo uomo, che abita il nostro pianeta.

[2] MARC. 16, 15.
[3] *Eph.* 6, 17.
[4] Cfr. MATTH. 28, 18.

A questa augusta e santa meta ha collaborato tutto ciò che costituisce ed anima la madre patria cattolica. E se noi consideriamo la somma delle molteplici opere buone e delle eroiche rinunzie, che milioni e milioni di anime, dal fanciullo al vegliardo, hanno compiuto e compiono, e di cui è così ricca la storia delle Missioni: le preghiere; le elemosine e le offerte; l'olocausto di se stessi, che i Missionari e le Suore missionarie fanno senza limitazione nè riserva, non per qualche mese od anno, ma fino alla morte, e in non pochi casi fino alla morte violenta per amore di Cristo; e tutto ciò affine di rendere genti estranee e sconosciute, in terre e continenti lontani, partecipi della redenzione e della salute nel tempo e nella eternità, della pace con Dio e fra loro stesse, della dignità di cristiani, che sola rappresenta la piena dignità umana; noi vediamo e sentiamo che il passato e il presente poche cose hanno da additare, le quali per generosità e per vigore, per efficacia in profondità e in larghezza, per abbondanza di perenne benedizione, possano essere paragonate ed equiparate a queste gesta di vero rispetto ed amore per gli uomini. Un tale amore, per applicare qui la parola dell'Apostolo S. Giovanni, non può essere che da Dio,[5] e Noi non dubitiamo di asserire che l'opera cattolica delle Missioni nell'era moderna costituisce di per sè sola una mirabile prova della divinità della Chiesa.

In un tempo in cui dottrine empie ed atee inducono molti a violare i diritti e la dignità della persona umana e la mutua carità fraterna, è un intimo bisogno dell'animo Nostro di rivolgere a quest'opera di universale amore una parola di riconoscimento, di lode e di gratitudine.

2. Una parola di lode e di gratitudine, ma in pari tempo anche di speranza e di conforto per tutti quelli, cui angustia il pensiero dell'avvenire delle Missioni. Anche nel primo conflitto mondiale quanti cuori questa sollecitudine turbò! Ma ai dubbi ansiosi, ai timori di allora, l'intervallo di tempo fra le due grandi guerre diede una risposta favorevole che superò ogni previsione. L'opera missionaria, così nei Paesi già illuminati dalla luce del Vangelo, come nel campo stesso delle Missioni, guadagnò un tale impulso, una tale ampiezza esteriore, una tale vigoria interna, quali forse non si riscontrano con eguale intensità nella storia delle Missioni. Il Nostro immediato Predecessore di gloriosa memoria eresse non meno di 221 nuove circoscrizioni missionarie: gli addetti alle missioni furono durante il suo Pontificato più che raddoppiati: quasi duplicato il clero indigeno: il numero dei fanciulli e delle fanciulle frequentanti le scuole cattoliche nei territori di missione triplicato. Nel 1889 — anno in cui

[5] Cfr. *I Ioann.* 4, 7.

sorse l'Opera di San Pietro Apostolo — le Missioni cattoliche contavano 870 sacerdoti e 2700 seminaristi indigeni: il cinquantesimo anniversario di quella fondazione trovava già quel numero ottuplicato; mentre le circoscrizioni ecclesiastiche affidate a Vescovi indigeni presentemente ascendono ad oltre 70. È poi necessario di ricordare quali alte speranze offre il campo missionario nell'Asia orientale? Che se volgiamo lo sguardo al continente africano, l'affluire di quei popoli verso la Chiesa, massime nel Congo Belga, è andato crescendo e sviluppandosi a tal segno, da rappresentare risultati finora non mai conseguiti.

È come se il Signore nella prima guerra mondiale avesse con la sua mano onnipotente sollevato e condotto l'opera delle Missioni al di sopra e al di là degli abissi. Mentre allora non pochi prevedevano e temevano che la guerra avrebbe su di essa sinistramente influito con la sua forza distruggitrice a guisa di terribile cataclisma, la Provvidenza divina faceva fiorire una primavera missionaria, quale la Chiesa non vide forse mai più promettente.

Perciò non esitiamo anche ora, in questo secondo e più formidabile conflitto, di guardare l'avvenire con occhio sereno; ed anzi, crediamo, a più forte ragione. Infatti il lavoro compiuto nell'intervallo è coscientemente partito dall'intento di dare alle Missioni il carattere di istituzioni non straniere, ma proprie del Paese. Di qui il bisogno del Clero indigeno e delle Suore indigene; di qui il principio che l'indole, le tradizioni e i costumi nativi debbono rimanere inviolati, in quanto sono conciliabili con la legge divina. Il Missionario è Apostolo di Gesù Cristo. Egli non ha l'ufficio di trapiantare la civiltà specificamente europea nelle terre di missione, sibbene di rendere quei popoli, che vantano talora culture millenarie, pronti ed atti ad accogliere e ad assimilarsi gli elementi di vita e di costumanza cristiana, che facilmente e naturalmente si accordano con ogni sana civiltà e conferiscono a questa la piena capacità e forza di assicurare e garantire la dignità e la felicità umana. I cattolici indigeni debbono essere veramente membri della famiglia di Dio e cittadini del suo regno,[6] senza però cessare di rimanere cittadini anche della loro patria terrena.

Il grande scopo delle Missioni è di stabilire la Chiesa nelle nuove terre e di farle ivi mettere salde radici tanto da poter un giorno vivere e svilupparsi senza il sostegno dell'Opera delle Missioni. L'Opera delle Missioni non è scopo a se medesima: essa tende con ardore a quell'alto fine, ma si ritira quando questo è stato raggiunto.

[6] Cfr. *Eph.* 2, 19.

Un'altra considerazione rafforza egualmente la Nostra speranza. Le indicibili miserie prodotte dalla guerra in molti Paesi di missione hanno trovato la carità cattolica pari al proprio ufficio e pronta ad ogni aiuto, anzi, nonostante le strettezze che affliggono tante Nazioni, notevolmente accresciuta. Quel che durante i lunghi anni delle operazioni belliche è stato compiuto nell'Asia orientale, rimarrà memorabile nella storia della beneficenza della Chiesa. Noi pensiamo con particolare compiacimento ai Nostri figli e figlie del lontano Oriente, ai Missionari e alle Suore, ai cristiani indigeni, alle loro opere, alla fede, alla carità, al ministero e alla pazienza loro.[7] Tutto ciò fa ben prevedere per l'avvenire, perchè nulla rende la Chiesa tanto familiare in mezzo al popolo, quanto la sua azione caritativa.

Se Noi dovessimo indicare un detto che caratterizzi il movimento missionario cattolico dal secolo XVI, potremmo difficilmente trovarne uno più espressivo delle sublimi parole di San Paolo: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius! »[8] Ma gli arcani disegni della Provvidenza s'illuminano a mano a mano e si rischiarano per chi si faccia a considerare l'avvicendarsi delle cose umane sotto il sapientissimo e onnipotente governo divino, cosicchè dagl'insegnamenti del passato ci è dato di trarre gli auspici sul futuro. E perciò nutriamo fiducia che il presente secolo, per quanto, nato superbo e presuntuoso, abbia accumulato delusioni sopra delusioni, rovine sopra rovine, porterà tuttavia nel campo delle Missioni cattoliche una ricca messe, dopo che con fatiche durate per secoli si è seminato tra le lagrime.[9]

Affinchè il Signore, le cui misericordie raggiungono non meno incommensurabili profondità che i suoi giusti giudizi, si degni di concedere tale grazia, Noi impartiamo a tutti e ciascuno di voi, e in primo luogo all'eminente Signor Cardinale Prefetto della S. Congregazione de Propaganda Fide, tanto sollecito dell'Opera delle Missioni, e al vostro degnissimo e zelantissimo Presidente, a tutti i vostri collaboratori, a quanti vi sostengono con le loro offerte o sono affidati alle vostre cure, a tutti i Missionari e alle Religiose Missionarie, a tutti gli Ordinari, sacerdoti e fedeli indigeni, dalla pienezza del Nostro cuore paterno l'Apostolica Benedizione.

[7] Cfr. *Apoc.* 2, 19.
[8] *Rom.* 11, 33.
[9] Cfr. *Ps* 125, 5.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

Postremis hisce temporibus non semel ab hac Suprema S. Congregatione S. Officii quaesitum est, quid sentiendum de systemate *Millenarismi mitigati*, docentis scilicet Christum Dominum ante finale iudicium, sive praevia sive non praevia plurium iustorum resurrectione, visibiliter in hanc terram regnandi causa esse venturum.

Re igitur examini subiecta in conventu plenario feriae IV, diei 19 Iulii 1944, Emi ac Revmi Domini Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. Consultorum voto, respondendum decreverunt, *systema Millenarismi mitigati tuto doceri non posse.*

Et sequenti feria V, die 20 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. Pius divina Providentia Papa XII, in solita audientia Excmo ac Revmo D. Adsessori S. Officii impertita, hanc Emorum Patrum responsionem approbavit, confirmavit ac publici iuris fieri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 21 Iulii 1944.

I. Pepe, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

die 11 Martii 1944. — Titulari Episcopali Ecclesiae Linoënsi praefecit R. D. Alphridum Obviar Aranda, e dioecesi Lipensi, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Alphridi Verzosa, Episcopi Lipensis.

die 16 Maii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Sophenensi R. D. Michaëlangelum García, parochum loci « Chiquimula » in archidioecesi Guatimalensi, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Mariani Rossell, Archiepiscopi Guatimalensis.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Matregensi R. D. Raphaëlem Gonzalez, parochum loci « Zacapa » in archidioecesi Guatimalensi, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Georgii García, Episcopi Altensis.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Trocmadianae R. P. Raymundum M. Martin, Ordinis Fratrum Praedicatorum, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Aloysii Montenegro y Flores, Episcopi de Vera Paz.

die 10 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Uruguayanensi R. D. Iosephum Newton de Almeida Batista, Canonicum Capituli metropolitani S. Sebastiani Fluminis Ianuarii.

die 15 Iunii. — Titulari Archiepiscopali Ecclesiae Macrensi in Rhodope Exc. P. D. Henricum Rohlman, hactenus Episcopum Davenportensem, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Francisci J. Beckman, Archiepiscopi Dubuquensis.

die 16 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Antioquiensi Exc. P. D. Aloysium Andrade, hactenus Episcopum titularem Dagnensem.

die 5 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae S. Marthae R. P. Bernardum Botero Alvarez, e Congregatione Missionis, Rectorem Seminarii dioecesani Tunquensis.

die 10 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Legionensi R. D. Aloysium Almarcha Hernández, Vicarium Capitularem dioecesis Oriolensis.

— Cathedrali Ecclesiae Tudensi R. P. Iosephum López Ortiz, ex Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini.

die 24 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Baionensi Exc. P. D. Leonem Terrier, hactenus Episcopum Tarantasiensem.

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

DECRETUM

Quo efficacius atque fructuosius Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita munere sibi per can. 251 concredito perfungi valeat, Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa XII, in Audientia diei 24 Ianuarii 1944 infrascripto Secretario concessa, adpro-

bare dignatus est, auctoritate apostolica, erectionem atque constitutionem in sinu eiusdem S. Congregationis, specialis Coetus seu Commissionis virorum idoneorum, quae omnes quaestiones ac negotia quavis ratione ad adspirantium et novitiorum iuniorumque sodalium, cuiuslibet religionis ac societatis, in commune viventium sine votis, religiosam et clericalem educationem atque in litteris scientiisque et ministeriis institutionem spectantia pertractet.

Constitutae Commissioni incumbent praesertim munera quae sequuntur:

a) definiendi et delineandi criteria cardinalia et peculiares notas, quibus educatio ac institutio religiosorum duci iugiter debet;

b) vigilandi circa ordinationes a Superioribus et Capitulis in rebus ad educationem et instructionem pertinentibus latas; necnon inspiciendi et recognoscendi relationes a Superioribus vel ab Apostolicis Visitatoribus quoad hoc exhibitas.

Commissio autem ad sessiones ordinarias vel extraordinarias, plenarias vel partiales, prouti negotiorum agendorum natura ac momentum ferre videantur, convocabitur. Sessiones habebuntur praeside ac moderante Sacrae Congregationis Secretario. Discussiones ac decisiones in acta opportune referentur.

Omnia illa quae a Commissione tractanda sunt quaeve singulorum Commissariorum vel Peritorum studio ac examini erunt subiicienda colligere, ordinare et convenienter praeparare Officialium erit Sacrae Congregationis, quorum etiam erit acta et documenta ad Commissionem pertinentia in Archivo asservare, decisiones sub ductu et auctoritate Praesidis executioni mandare aliaque ad rem spectantia ad praxim deducere et expedire.

Contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis, die, mense et anno ut supra.

Fr. L. H. Pasetto, *Secretarius.*

P. Arcadius Larraona C. M. F., *Subsecretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

CHICAGIEN. seu LAUDEN.

CANONIZATIONIS BEATAE FRANCISCAE XAVERIAE CABRINI, VIRGINIS, FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM MISSIONARIARUM A SACRO CORDE IESU.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, TUTO *procedi possit ad sollemnem eiusdem Canonizationem.*

Actuosissimam vitam virgineo fragrantem odore Beata Francisca Xaveria Cabrini, die 22 Decembris mensis a. D. 1917, annos nata septem supra sexaginta, Chicagiae pretiosa morte complevit. Actuosissimam eius diximus vitam. Attonitus sane obstupefit animus cum tot ac tam praeclara facinora perpendit, quae mulier inops, corpore pusilla, tenui plerumque valetudine, S. Francisci Xaverii, cuius cognomentum suo nomini addere voluit, exempla aemulata, operata est; quot terra marique aerumnosa fecerit itinera, quot labores exantlaverit, quot dolores sustinuerit, quot difficultates superaverit, quot nosocomia scholasque, omni necessaria atque opportuna instructa supellectili, fundaverit. Quis enimvero non mirabitur florens illud Sororum Missionariarum a Sacro Corde Iesu Institutum, ab ipsa, Laudensi Episcopo fautore, conditum, quod brevi temporis decursu in multas Europae atque Americae regiones propagatum, uberrimis Ecclesiam Dei laetificat fructibus?

At enim unde tantam animi fortitudinem Beata hausit? Responsio, in promptu est. Divinae voluntatis plane conscia ac de se demisse sentiens, ad omnium gratiarum ac virium fontem, nimirum ad Sacratissimum Cor Iesu confugere consuevit, indeque *fidem quae per caritatem operatur,* affatim hausit, qua stimulante, tot tamque praeclara absolvit.

Pronum itaque fuit ut, post eius obitum, sanctitatis fama crebrescente, Ordinariae inquisitiones super eadem fama, super scriptis et super obedientia urbanianis decretis cultum Servis Dei prohibentibus, in Archiepiscopali Curia Chicagiensi atque in Laudensi perfectae sint. Post quas

Beatificationis et Canonizationis causa, servato iuris ordine, die 30 Martii a. 1931, Pio XI iubente Sacrorum Rituum Congregationi fuit commissa; die 21 Novembris a. 1937 heroicae eius virtutes declaratae fuere; die autem 31 Iulii a. 1938 de duobus miraculis constare, decretum fuit. Sollemnia vero beatificationis die 13 Novembris 1938 in Vaticana Basilica celebrata sunt.

Quum novorum prodigiorum, eadem intercedente, obtentorum rumor exortus fuisset, Canonizationis causa die 21 Iunii 1939 fuit resumpta, atque super duobus aliis miraculis, post beatificationem a Deo, in Laudensi civitate patratis, Apostolica auctoritate in eadem Curia processus fuit constructus. Tandem post triplicem Congregationem, approbationis decretum die 20 Iunii elapsi anni editum fuit.

Ut autem Sacrae huius Congregationis acta in causa canonizationis complerentur, novissimum Dubium supererat discutiendum: *An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, Tuto procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem.* Rmus Cardinalis Alexander Verde in Generali Congregatione, coram Ssmo D. N. Pio Papa duodecimo die 11 Ianuarii huius anni habita, dubium hoc discutiendum proposuit.

Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores in affirmativam unanimes concessere sententiam, quam Beatissimus Pater benigne quidem auscultavit, sed suam tunc abstinuit mentem pandere, ut enixioribus precibus effundendis locus daretur.

Hanc autem selegit diem, Dominicam primam Quadragesimae.

Quocirca Sanctitas Sua, accitis ad se Rmo Cardinali Alexandro Verde, Causae Ponente, atque infrascripto Cardinali S. R. C. Praefecto, nec non R. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, atque me Secretario, Sacrosancto Missae sacrificio pientissime litato, edixit: TUTO *procedi posse ad* Beatae Franciscae Xaveriae Cabrini *sollemnem Canonizationem.*

Hoc autem decretum rite promulgari et in acta S. Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 27 Februarii, Dominica prima in Quadragesima a. D. 1944.

✠ C. Card. SALOTTI, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

BAIONEN.

CANONIZATIONIS BEATI MICHAËLIS GARICOÏTS, CONFESSORIS, FUNDATORIS SOCIETATIS PRESBYTERORUM SSMI CORDIS IESU, VULGO DE BÉTHARRAM.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Beatus Michaël Garicoïts inscrutabili Dei consilio ad Cordis Filii sui in plebem fidelem divitias magis derivandas, animasque, eius sanguine per mysterium Crucis redemptas, ad hunc gratiae et misericordiae fontem adducendas electus, veluti sub Beatae Virginis alas, in insigni eius sanctuario novam condidit *Societatem Presbyterorum Sacratissimi Cordis Iesu;* quae ex loco, ubi condita est, *Bétharram,* quod nomen *pulcher ramus* interpretatur, cognomentum accepit. Vere nomen omen ! Societas enim haec iure dici potest *pulcher ramus* in semper virenti Ecclesiae arbore insertus, qui fragrantes flores uberesque affert fructus.

Sicut autem B. Michaël, indefessa praedicatione atque sanctitatis exemplo, totam vitam ad Dei gloriam impendit, ita Deus munifice atque magnifice Famulum suum rependit, eiusque virtutes miraculorum etiam splendore remuneratus est. Quibus ab Ecclesia probatis, Dei Servus Beatorum honoribus die 10 Maii a. 1923 fuit redimitus.

Nec satis. Resumpta enim die 23 Iulii, sequenti anno, canonizationis causa, super duabus sanationibus apostolica auctoritate in Platensi Curia constructi sunt processus; de quorum iuridica vi die 20 Novembris a. 1940 favorabile editum est decretum. Iuridicis actis sedulo perpensis, haec de utraque sanatione eruuntur.

I. Blanca Simioni, decennis puella, in urbe La Plata, gravissima typhica infectione, quae cum enterrorhagiis atque myocardite, ab initio toxica dein organica, attacta fuit. Cum nulla naturalis sanationis spes superesset, novendiales preces pro puellae sanitate obtinenda, per B. Michaëlis intercessionem, ipso medico suadente, a parentibus aliisque ferventer effusae fuere. Dum morbus maxime ingravescit, atque infirma prope moritura erat, die 17 Maii anno 1930 puella illico perfecte sanatur, medico ceterisque mirantibus. In recuperata valetudine Blanca permansit. Tres periti ab hac sacra Congregatione adlecti plene cum medente cum in diagnosi edicenda, tum in iudicio ferendo sanationem supra naturae vires contigisse concordant.

II. In eadem urbe Soror Angela Zanini, e Societate Mariae, puellis loquela et auribus captis educandis praeposita, per nonnullos annos fibromate, cum aliorum quoque gravium malorum concursu, in interno abdomine laborabat. Morbus adeo invaluerat, ut nulla recuperandae valetudinis spes affulgeret. Quare cum Sodales, tum earumdem curae concreditae puellae B. Michaëlis patrocinium implorarunt; qui suae clienti benignissime adfuit. Nocte enim inter diem 9 et 10 Iulii a. 1936, dum Soror Angela in precibus effusa Beatum impensius invocat, in instanti perfectissime sanata est, atque statim, viribus omnino recuperatis, pristina officia resumpsit, in iisque, bona fruens valetudine, iugiter perseveravit. Medense cum tribus ex officio Peritis in diagnosi, in prognosi atque in sanatione divinae actioni exclusive tribuenda conveniunt.

De his duabus sanationibus, servato iuris ordine, prius in Antepraeparatorio Sacrae Congregationis coetu, coram infrascripto Cardinali, S. R. C. Praefecto atque Causae Ponente, die 17 Februarii a. 1942 actum est, deinde in Praeparatorio, die 13 Aprilis anteacti anni, demum in Generali coram Ssmo D. N. Pio Papa XII, die 15 mensis huius habito: in quo idem Cardinalis dubium proposuit discutiendum: *An et de quibus miraculis, post indultam ab Apostolica Sede eidem Beato venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suum quisque protulit suffragium. Beatissimus vero Pater suam aperire mentem ad hanc distulit diem, Dominicam primam sacratissimae Quadragesimae, ut a Deo effusis precibus quid agendum imploraret.

Eapropter Sanctitas Sua subsignatum Cardinalem, R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem meque Secretarium ad Se advocavit, atque, divino sacrificio religiose litato, edixit: *Constare de duobus miraculis, B. Michaële Garicoïts interveniente, patratis,* videlicet: *De instantanea perfectaque sanatione cum Blancae Simioni a gravissima typhica infectione cum enterrorhagiis atque myocardite organica, tum Sororis Angelae Zanini a fibromate, aliis gravibus adiunctis morbis, in interno abdomine.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta S. Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 27 Februarii, Dominica prima Quadragesimae, a. D. 1944.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

III

CURIEN.

CANONIZATIONIS B. NICOLAI DE FLÜE, CONFESSORIS, EREMITAE HELVETII

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet, post indultam Eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, in casu et ad effectum de quo agitur.

Sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris, dicit Dominus (Is., 55, 9). Obstupescit animus mirabilem B. Nicolai de Flüe vitam perpendendo, qui, adulescens, miles, pater familias, rei publicae curator, insignia virtutum specimina praebuit. At quam maxime admirationem gignit quod vir, divina impellente gratia, uxorem, filios, resque familiares penitus reliquerit, asperrimumque vitae genus per fere viginti annos in solitudine egerit, solo eucharistico pane, uti gravissimi testes affirmant, nutricatus.

